

panis inciditur. Potest etiam מלחמה dici ab absimendo, qvia bellum omnia quasi comedit & absimilit. a)

§. II. Tanto effuso sangvine] Hæc verba non leguntur supra c. XVII. nec 2. Sam. VII. Ergò pertinent ad paralipomena, i. e. prætermissa. b) Hieronymus hoc refert ad sangvinem Uriæ innoxium, qvem vultinhabilem fecisse Davidem ad ædificandam domum Dei. Refutant hoc alii, qvia hæc à Deo dicta sint ante cædem Uriæ, qvod probant ex c. XVII. & 2. Sam. VII. c) Verùm supra ad 2. Sam. VII. observavimus, illa loca cum hoc nostro non esse parallelia, sed hanc planè novam atq; aliam fuisse revelationem Davidi factam. Res ipsa tamen, qvod nempe hæc visio Davidi ante Uriæ cædem oblata fuerit, nobis non improbatum. Ac de cæde Uriæ Deum hinc non loqui satis patet, qvia de bellis Deus ipse explicat, ut ex proximè antecedentibus patet, & qvia dicitur: sangvinem *multum* effudisti, qvod plus quam unam illam cædem importat.

§. III. Effuso sangvine] Juxta Ebræum sangvinem effudisti. Junius verbum præteriti temporis effudisti vertit per præsens effundis, cùm liqueat ex historia, Davidem plurima bella poste ademum gessisse. Is itaq; verborum Dei sensus esset: tu in gerendis bellis, & fundendo hostium sangvine es occupatissimus, ut ædificationi templi operam dare non possis. Hæc explicatio satis confirmatur ex 1. Reg. V, 3. ubi dicitur: pater meus לא יכל non potuit ædificare nomen Domini Dei sui, propter bella *imminentia* per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus. Nunc autem requiem dedit Deus meus mihi per circuitum. Sich. l. dicitur לא תבנה non ædificabis, i.e. non ædificare poteris.

SECTIO TERTIA.

Th. Bella hoc in loco non damnantur ut simpliciter injusta, c. Anabapt. Photin. & VVeigel.

§. I. Sane 1. Ipse Deus dicitur vir bellator Exod. XV, 13. 2. Bella Davidis vocantur bella Domini 1. Sam. XVIII, 17. c. XXV, 28. 3. Deus dicitur docuisse manus ejus ad prælrium 1. Sam. XXII, 35. Ps. XVIII, 35. d) 4. Imò Deus jussit bella contra Cananæos &c. gerere.

§. II. Qvòd ergò hinc ait Dominus: non ædificabis mihi domum, qvia bella gessisti,

a) Kirch. b) Pisc. c) Estius. d) Gerh. L. de Magistratu §. 387.